

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus

Caput 17: De laude superne felicitatis et premio eterno (8a)

Idem (Bernardus) de meditationibus:

Ille cum deo beatus erit,

in cuius conscientia peccatum inventum non fuerit.

Videbit eum ad voluntatem,

habebit ad iocunditatem,

in eternitatem vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit.

Sic habebit permanendi eternitatem,

sic cognoscendi facultatem et requiescendi felicitatem.

Civis siquidem erit illius sancte civitatis, cuius angeli sunt cives,
deus pater templum, filius eius splendor, spiritus sanctus caritas.

O civitas celestis, mansio secura,

patria totum continens quod delectat,

populus sine murmure, incole quieti,

et humiles nullam indigentiam habentes!

O quam gloriosa dicta sunt de te civitas dei,

sicut letantium omnium nostrum habitatio est in te!

Omnis letantur in letitia et exultatione,

omnes delectantur de deo, cuius aspectus pius, facies decora,

eloquium dulce, delectabilis ad videndum,

suavis ad anhelandum, dulcis ad perfruendum.

Ipse per se placet, et propter se sufficit ad meritum

et ad premium, nec extra ipsum quidquam aliud queritur,

quia totum in illo invenitur, quidquid desideratur.

Semper licet illum inspicere, semper habere,

semper in illo delectari, et illo perfaci. In illo clarificatur,

et purificatur affectus ad cognoscendam et diligendam veritatem.

Et est totum bonum hominis hoc: cognoscere et amare creatorem suum.

Sic cum deo beatus erit:

in cuius conscientia peccatum inuentum non fuerit.

videbit eum ad voluntatem.

habebit ad voluptatem, fruetur ad iocunditatem.

in eternitate videbit, in veritate fulgebit: in bonitate gaudebit.

Sicut habet permanendi eternitatem,

sic cognoscendi facultatem: et requiescendi felicitatem.

Cuius siquidem erit illius sancte ciuitatis: cuius angeli sunt ciues /
deus pater templum / filius eius splendor / spiritus sanctus caritas.

O ciuitas celestis / mansio secura /

patria totum continens quod delectat /

populus sine murmure / incole quieti /

et homines nullam indigentiam habentes,

quam gloriosa dicta sunt de te ciuitas dei.

sicut letantium omnium habitatio est in te.

Omnis letantur in leticia et exultatione.

Omnis delectantur de deo: cuius aspectus pius / facies decora /

eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum /

suavis ad anhelandum / dulcis ad perfruendum.

Ipse per se placet et propter se: sufficit ad meritum:

sufficit ad premium. nec extra illum quicquam aliud queritur.

quia totum in illo inuenit: quicquid desideratur.

Semper libet illum aspicere / semper habere /

semper in illo delectari: et in illo perfaci. In illo clarificatur

et purificatur affectus ad cognoscendam et diligendam veritatem.

et hoc est totum bonum hominis: noscere et amare creatorem suum.

Guillelmus de Cortriaco (Guillaume de Courtrai, OSB),

Liber florum beati bernardi abbatis clareuallensis, 5.47

(Paris, P. Pigouchet, 1499 [ISTC ib00390000], fol.45vb).

Sic cum Deo homo beatus erit,

in cuius conscientia peccatum inventum non fuerit.

Videbit Deum ad voluntatem,

habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem.

In aeternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit.

Sicut habebit permanendi aeternitatem,

sic cognoscendi facultatem et requiescendi felicitatem.

Civis siquidem erit illius sanctae civitatis, cuius Angeli cives sunt,
Deus Pater templum, Filius ejus splendor, Spiritus sanctus charitas.

O civitas coelestis! mansio secura,

patria fertilis et ampla, totum continens quod delectat:

populus sine murmure, incolae quieti,

homines nullam indigentiam habentes!

Quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei!

sicut laetantium omnium habitatio est in te (Psal. LXXXVI, 3, 7).

Omnis laetantur in laetitia et exsultatione:

omnes delectantur de Deo, cuius aspectus pulcher, facies decora,

eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum,

suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum.

Ipse per se placet, et per se sufficit ad meritum,

sufficit ad praemium; nec extra illum quidquam quaeritur,

quia totum in illo invenit quidquid desideratur.

Semper libet eum aspicere, semper habere:

semper in illo delectari, et illo perfaci. In illo clarificatur intellectus,

et purificatur affectus ad cognoscendam et diligendam veritatem.

Et hoc est totum bonum hominum, noscere et amare Creatorem suum.

Auctor incertus (Bernardus Clareuallensis?), *Meditationes piissimae de*

cognitione humanae conditionis, 4 (PL 184, col.492C-493A).